

1585

*libertatem atque Italiae decus Deus Optimus Maximus obje-
cit. An igitur cunctando, an tempus proferendo, pericula vel
vitari vel discuti posse arbitramini? Inani spe profecto duci-
mini; rerum potius eventu, quam consilio, & prudentia ni-
timini. Quae pro Italiae libertate, & pro istius Reipublicae
amplitudine, immortalitate digna majores vestri ausi fuerint,
confecerint, illustrium scriptorum testata monumentis, vestris-
que annalibus atque historiis deprompta intuemini. Nam de
ambiguis atque frigidis hisce consiliis quid dicam? Illud ex
Livio proferam: Agendo, & vincendo res Romana crevit;
non hisce consiliis, quae timidi cauta putant. Nunc praecleara
opportunitas amico Regi subveniendi, regnum, vires, arma
in Republica vestra tuenda atque augenda collaturo, sese of-
fert. Ita haec imperia connexa sunt, ut alterius ab altero bo-
num sejungi nequeat; strata atque extincta Gallia, Rempu-
blicam quoque eadem ruina involvi necesse est. Neque longe
pericula abesse arbitremini; belli enim flamma in Galliis
crepitante, id vere usurpari debet:*

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

*Cuncta igitur invitant, incitant, impellunt, ut tot circumse-
pto difficultatibus ac periculis Regi opem feratis, uno eo-
demque tempore labanti Galliae succurratis, atque a Republi-
ca vestra imminetia pericula propulsetis.*

Haec graviter admodum ac liberrime a Messio enuntiata, haud parum Patrum animos commovebant, qui etsi Philippi mode-
rationem alias experti fuerant, attamen quot faces Regum
animis regnandi libido & cupiditas subdat, secum ipsi re-
putabant. Ingenti Lusitaniae atque orientalis Indiae accessione
sublatos Hispanorum animos; Belgii prosperis eventis elatos;
Galliarum civilibus dissensionibus gradum illis ad monarchiam
feri. Verum majorum instituta sequentes, qui aequae cum
Regibus amicitias colere consueverant (ita enim ab utrorum-
que injuriis tutos alterius semper praesidio se fore arbitra-
bantur) quemadmodum quacumque possent ratione labanti
regno opitulari opportunum esse, ita minime Reipublicae con-
ducere, ut alteri se parti adjungerent, censebant. His de
causis Senatus consulto, hunc in modum Messio responsum.

Senatus
responsum.

*Quod de praesenti rerum statu Rempublicam certiozem fece-
rit,*